



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 184. Et plectentes coronam de spinis. v. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

morem Romanorum, ei coccineam chlamydem, quam forte sub leamno abjectam cujusdam militis Romani vilem, putidam & laceratam inveniabant, imposuerunt. erat autem chlamys vestis strictior & brevior pallio, quã milites super arma induebant, & erat purpurea, quo colore utebantur potissimum Reges & Imperatores Romani in augurabantur. Tali igitur ornatu contemptim induunt Christum, irridendo & per ludibrium subsannantes & illudentes: en, tu dixisti te Regem Iudæorum, accipe ergo ornatum Regium, ut ab omnibus Rex agnosci, & à nobis honorari queas, &c. Ecce homo rex tuus & Deus tuus quomodo illuditur pro te, & vilibus induitur, ut tuas coerceat pompas: Erubescet peccator cum ille, qui coram Deo factus & omnibus sanctis eius, qui totus in hoc incumbis, ut faccum tuum stercoreum & nidum vermium rebus pretiosis exornes, quando Dominus maiestatis tua causa contemptibili veste velut stolidus despicitur: an nescis Adamum primum parentum nostrorum vestitum à Deo fuisse in signum admissi peccati, & symbolum pœnitentiæ? sanè vestes nostræ sunt stigma peccati, perinde ut compedes & catenæ sunt symbola malefactorum, stulte igitur homo superbis in vestitu de quo erubescere deberes. In paradiso vestium usus non erat, quia nec erubescencia quæ orta est ex peccato: Hinc Deus tuus vilibus modo induitur ad confusionem, ut deleat peccatum tuum & pudorem. utere ergo honestis vestibus in operimentum, non ambitum; in pœnitentiam non in contemptum Dei, in necessitatem, non superfluitatem.

O Rex Regum & Dominus dominantium, qui vilibus vestibus circumdatis, ut meam vilitatem tegas, qui lacerata indueris Chlamyde, ut vulneratam animam meam servares, & absconderes in te. Ideo te agnosco & acclamo Regem cœli & terræ, non sicut Iudæi ironice, sed verè. Te adoro Regem cum tribus Magis, offerens cum iis aurum, sicut Regi magno, Thus sicut Deo vero, Myrrham sepulturæ: aurum scilicet animam meam cum omnibus suis potentiis ad, tibi perpetuo serviendum, quia illa plusquam aurum æstimata est in oculis tuis. Thus Merita passionis tuæ, & B. Virginis matris tuæ, & omnium electorum tuorum qui tibi placuerunt ab initio mundi Myrrham, corpus hoc mortale cum omnibus bonis terræ, quæ mihi concessisti. Reddo tibi creatori meo hæc omnia, teque adoro & glorifico sine fine in æternum.

§. 184. *Et plectentes coronam de spinis. v. 29.*

Ansam coronæ plectendæ dabat coccinea Chlamys, quæ circumdatus erat pius Dominus tanquam scenicus Rex, at qualis ea fuit corona? ex
auro

auro? argento? vel ferro? qualibus olim coronari solebant Cæsares Germanici, secundum triplex Regnum Germaniæ Longobardiæ & Italiæ. Minime gentium. sed ex pungentibus & duris spinis, ut & caput puncturis torqueretur, cui utcunque parcitum fuerat in dira flagellatione corporis, ut & sic impleretur quod dictum est: *Non est in eo sanitas à planta pedis usque ad verticem capitis.*

O Mi Iesu, cur obsecro voluisti tibi plecti coronam, tam diram de spinis durissimis? Quia tu ô homo venabaris meras coronas de rosis, vanitatum, voluptatum mundi, honorum & dignitatum; ut ergo pro iis satisfacerem Deo patri, volui mihi plecti coronam omnis humilitatis, contemptus, vilipendii, & cruciatus Ergo dulcissime Iesu quia superbia mea, voluptas mea, vana mea gloria, tibi causerunt hanc coronam, ecce conculco illa pedibus & dico, quod pudeat me, voluisse *ducere in bonis dies meos, & quarere qua mundi sunt, &c.* quæ tu nosti & ego erubesco. Agoque tibi gratias, quas possum, maximas, ô Rex, magne Deus, quod usus fueris hac methodo ad voluptates meas, & superbiam domandam. Ex hac hora enim statuo firmiter & propono tua vestigia sequi, & in hac vita eligere coronari spinis, ut post hoc tempus coronam æternæ gloriæ tecum adipisci merear in vita altera.

§. 184. *Posuerunt super caput eius. v. 29.*

Regia corona fit, ut imponatur capiti Regis, & ille ea notâ cognoscere possit & honorari: at hi milites, postquam texuerunt coronam de spinis, imposuerunt capiti Regis æterni in vilipendium & tormentum, quia non ex auro, inauratis, vel lauro, sed spinis horribilibus constabat, ut pungent non honorarent, spernerent non laudarent.

O Quis dicendo possit consequi, quam intolerabili Dominus Iesus, Rex æternus, dolore correptus fuerit, cum horribilis corona spinea tam inclementer ei imponeretur: ut enim quidam affirmant erat illa corona ex iuacis marinis, qui sunt peracuti & rigidi admodum, alii ex ihamno, & horum quidem non parvam connexuere copiam, sed in coronæ Cæsareæ undique caput regentis formam, & hanc tanta cum violentia & crudelitate sacro Christi vertici impresserunt, ut, quemadmodum D. Bernardus ait, aculei cerebrum attingerent, ipsas quoque venas nervos & ossa capitis penetrantes, adeo ut sanguis illius sacro permixtus cerebro, ubertim per faciem, per collum, per capillos deflueret. Expendat hic quisque secum, qualis hæc pœna fuerit. Quod si cuiuspiam ingens aliqua spina in caput infingeretur, quonam futurus esset animo? & certè, ut S. Anselmus auctor est, Christi

veneran-